DE
VERSV MARLOVII

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

IN ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XII. MENSIS IANVARII A. CIↃIↃCCCLXVII

PVBLICE DEFENDET

IACOBVS SCHIPPER

OLDENBVRGENSIS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

O. KNAVER DR. PHIL.

A. KISSNER ST. PHIL.

E. HEVSE CAND. MED.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI

PARENTIBVS OPTIMIS

PIO GRATOQVE ANIMO.

Inter omnes qui de literarum anglicarum historia scripserunt viros illustres et Germanos et Britannos Christopherum Marlovium[1]) de aequalibus Shaksperii, summi illius semper poetae scenici, praecipue poeticen inter Anglos coluisse et ut floreat effecisse constat.

Neque enim solum ingenio poetico ceteris poetis scenicis et prioribus et aequalibus longe antecellebat, verum etiam iambos quinorum pedum non inter se consonantes (*blankverse*) in fabulas introducens viam primus ingressus est, cuius vestigia postea omnes fere poetae secuti sunt. Atque Marlovius primus fuit poeta, qui mysteria embolia (*interludes*) carmina moralia (*moral-plays*) usque ad hoc tempus prae ceteris in scena publica acta summo studio repulit, et quum drama ad artis praecepta scriptum et actione praecisa personisque constantibus ornatum introducat, fabulis romanticis quoque in scenis regiis et privatis actis ingenue opposuit.

Neque vero mihi proposui magna Marlovii merita de fabulis excolendis et expoliendis plenius illustrare, quippe de qua re vix aliquantum nondum ab historicis Britannis

---

1) Editione usi sumus: *The works of Christopher Marlowe with notes and some account of his life and writings by the Rev. Alexander Dyce. London 1850.*

Germanisque strenue explicatum afferre possem; at de altera Marlovii laude, quod metra dramatis Anglici iambis illis in fabulas introductis mutavit, accuratius tractare in animo est.

Atqui ii versus iam pridem ante Marlovium a poetis Britanniae facti sunt; nam Lord Surrey Vergilium convertens primus iis iambis usus est; neque minus scenici ante Marlovium poetae eos fecerunt, primum, ut cognovimus, Sackville et Norton in tragoedia *Gorboduc*, quae a. 1561 ante Elisabetham reginam acta est, tum a. 1566 Gascoigne in *Iocasta*, quam *Phoenissas* Euripidis imitatus scripsit (acta in *Gray's Inn*), tum quinque auctores templi interioris in „*Tancred and Gismund*“ tragoedia a. 1592 in lucem prodita et ante reginam acta a. 1568, denique in Thomas Hughes *Arthur's Misfortunes*, ante reginam in urbe *Greenwich* a. 1587 actis. Quae dramata, quum tantum ante reginam et ante nobiles acta essent, Marlovius primus illos iambos in publici theatri fabulis adhibuit. Quod eum non sponte, sed arte et studio suscepisse plane ex prologo fabulae *Tamburlaine the Great*, ubi haec leguntur, apparet:

From jigging veins of rhyming mother-wits,
And such conceits as clownage keeps in pay,
We'll lead you to the stately tent of war.
Where you shall hear the Scythian Tamburlaine
Threatening the world with high astounding terms,
And scourging kingdoms with his conquering sword.
View but his picture in this tragic glass,
And then applaud his fortunes as you please.

Atque magni successus eius tragoediae gravis et excelsae, cuius genus dicendi grande nobiles delectavit cuiusque apparatus magnifici et proelia cruenta plebem inflammarunt, item versibus primum adhibitis (*blankverse*) secundi erant; quos esse optimos nunc omnibus apparebat, quippe quum actoribus et grande dicendi genus, quod

versus priore tempore usitati adiuverant, relinquerent et multo minus dictioni liberae et urbanae fines terminosque constituerent. Quare annis post eam Marlovii tragoediam actam insequentibus fabulae, quae et genus dicendi et rem metricam illius viri sequebantur, plurimae datae sunt, et veterum mysteriorum versus breves varie inter se consonantes (*couplets*) et carminum moralium versus breves alternatim inter se consonantes et emboliorum (*interludes*) Skeltonis longiores versus consonantes in omne tempus ex fabulis evanuerunt versibusque a Marlovio adhibitis cesserunt. Iam ad exemplum, quam mire celeriter et singulariter versus Marlovii in theatro imperium occuparint, Collier[1]) ille poëtam, qui brevi ante tragoediam *Tamburlaine the Great* actam in fabula versus inter se consonantes adhibuerit, paullo post in altera eius fabulae parte arcte cohaerente iambos non consonantes composuisse commemorat.

Itaque primum Marlovii opus *Tamburlaine the Great* cuius sive compositionem rerum sive imprimis versus perspiciamus, principium et fundamentum singulare fabulae Shaksperii iure nominare possumus. Quamobrem proprietates versus Marlovii, alteram eam usque ad hoc tempus, ut iam supra demonstravimus, propter aestimationem poeticam minus illustratam rem accuratius tractare operae pretium erit.

---

1) cf. *The history of English dramatic Poetry* by J. Payne Collier. Esq. London 1831. III, 123: *As one proof, among many, of the completeness, as well as suddenness, of the alteration, it may be noticed that the Moral, called The Three Ladies of London, printed in 1584, is written in rhyme, while the second part of the same subject, which followed it at no great interval, and which was published in 1590, entitled The Three Lords and Three Ladies of London, is in blankverse. In fact, after 1587, dramatic performances were very rarely in rhyme, as far as we can judge from those that are extant.*

Etenim Collier[1]), quem primum accuratius quanto fuerit momento Marlovius ad progressum dramatis Anglici illustrasse laudamus, versus eius tantum obiter et generatim tetigit et Tycho Mommsenius[2]) in commentatione egregia de versuum Shaksperii compositione passim de aequalibus Shaksperii tum vel de Marlovio animadversiones inserens de versibus eius nimis severe diiudicat. Ceterum metricae Mommsenii disquisitiones haud levis auctoritatis sunt, ex quibus uberrimi fructus capiuntur.

Pars I.

Atque quattuor facultates, quibus Mommsenius in versibus faciendis Shaksperium cum usitato quinorum iamborum contextu discrepare contendit quasque nonnullis quae infra explicare in animo est exceptis priores quoque Shaksperio poetas sequi docet (Romeo und Julia von T. Mommsen, pag. 109):

1. *den Trochäus für den Jambus nach der Pause an der ersten, dritten und vierten Stelle zuzulassen.*
2. *eine gewisse beschränkte Anzahl von Silbenverbindungen, Wörtern und Wortverbindungen bald einsilbig bald zweisilbig zu messen.*
3. *die zweisilbige Senkung bei starker zwischen diese beiden Silben fallender Pause (trochäischer Cäsur) zu gestatten.*
4. *eine gewisse Anzahl kürzerer Verse einzumischen.*

---

1) cf. Collier, The Hist. of Engl. dram. Poetry, vol. III. p. 107—146: *Christopher Marlow, and the employment of blank-vers upon the public stage.*

2) cf. Shakespeares *Romeo und Julia von Tycho Mommsen.* Oldenburg, 1859 p. 109—156.

eas facultates, quantum **Marlovius** in versuum compositione observaverit, exponere nobis propositum est.

Iam primum Marlovii opus ***Tamburlaine the Great*** et **utramque quidem partem** una animadvertamus. Namque quum partem alteram tragoediae quod attinet ad actionem et dispositionem fabulae priorem pergere atque adeo repetere manifestum est, tum quoque dictionem versuumque compositionem utriusque partis inter se differre vix perspexeris, ita ut id opus iure unam et magnam tragoediam decem actus continentem statuere possimus. Cuius fabulae de actione quod dicendum est non magna varietate eam delectare idem de versibus iudicandum, plerumque quum versus, quos primum hic adhibuit Marlovius, quinos iambos uno tenore consequentes contineant. Paucas tantum exceptionum quae posteriorum versus operum et imprimis versus fabularum Shaksperii varietate suavi ornant, in eo primo dramate reperimus.

I. Saepissime etiam **trochaeum pro iambo** scriptum, praecipue primo loco multo rarius tertio et quarto invenimus, neque minus verborum coniunctiones et verba et syllabarum coniunctiones quasdam nunc monosyllabas nunc bisyllabas legi posse videmus. Quamquam eo modo varietas haud parva progignitur, tamen perpolitio versus non semper redditur, quum interdum discrepantiae satis ineptae existant. Sicut nonnusquam primo loco trochaei adhibentur participia praesentis, quae saepius nimis premuntur, cf.

Tb. I, 32. *On which the breath of heaven delights to play,*
Making *it dance with wanton majesty etc.*

Tb. I, 96. *For there sits Death; there sits imperious Death,*
Keeping *his circuit by the slicing edge . . . . . .*
Sitting *in scarlet on their armed spears.*

Plerumque tamen optime sententiam significant, cf. Tb. I, 13:

Hoping *(misled by dreaming prophecies) To reign in*

Asia etc., quo loco per trochaeum parenthesis insequens magis etiam significatur; porro cf. *Thirsting with sovereignty* Tb. I, 32; *Shaking their swords* Tb. I, 73; *Lifting his prayers* Tb. I, 59 etc.; quibus locis oratio commota optime cum accentu trochaico concordat. Nonnusquam infinitivo quoque Marlovius ita utitur, cf. Tb. I, 55:

Then shall our fcotmen . . . .

Batter the walls, and we will inter in; Tb. I, 91 *Offer our safeties* etc. Tb. II, 162 *Murder the foe* etc. et participiis perfecti et imperativo, cf. Tb. I. 36 *Sprung of the teath of dragons* etc. Tb. I, 92 *Utter'd with tears* etc., Tb. I, 94 *Pity our plights* etc. Tb. II, 160 *Sorrow no more* etc.

Praeter illa et nonnulla alia verbi tempora praesertim in compellationibus gravibus trochaeum primo loco magno successu adhibitum invenimus, cf. Tb. I, 15 *Monster of nature* etc., Tb. I, 73 *Villain, I tell thee* etc. Tb. II, 167 *Brothers of holy Mahomet* etc.

Prae magno trochaeorum, qui primo versus loco positi sunt numero perpauci tertio et quarto loco inveniuntur, sed fere semper summo successu, ita ut vox trochaeum formans maiore vi efferatur. Quod clare demonstrat versus Tb. I, 60:

And with this stab slumber eternally;

quo loco trochaeus post longam versuum usitatorum seriem praeter opinionem tertio loco adhibitus verba spectaculo adscripta „*Stabs himself*“ explicabat et actor Agydae magnum effectum adeptus est, si eam vocem exclamans ictum faciebat. Neque alio est effectu trochaeus T. I, 34:

I think it would: well then, by Heavens I swear;

ubi verba pressa *well then* ad grande id *by Heavens I swear* spectant et Tb. II, 213:

Ah, sacred Mahomet, thou that hast seen
Millions of Turks perish by Tamburlaine,

ubi hi trochaei ter adhibiti orationem excitatam Callapini

adaugent et trochaeo post nonnullos versus primo loco sequenti

A i d t h y obedient servant Callapine!

bene respondent.

Exempla quoque trochaeorum quarto loco positorum haud raro reperiuntur, cf.

Tb. I, 61 *Even he, that in a thrice v a n q u i s h'd two kings,*

Tb. I, 66 *Till then take thou my crown, v a u n t o f my worth,*

T. II, 206 *But still the ports were shut: v i l l a i n, I say,*

Quin etiam exemplum trochaei secundo loco adhibiti (id quod rarissime fit) invenitur:

T. II, 167 *Raise mounts, b a t t e r, intrench, and undermine;*

Quare quum ad exempla citata quibus multo plura facile explorari possent, etiam magnum numerum trochaeorum rhetoricorum accentu sententiae pronatorum addamus, cf.

Tb. II, 222 *H e l p m e, my lords, to make my last remove,*

Tb. I, 76 *Then, as I look d o w n t o the damned fiends,*

Tb. II, 210 *I will about it straight. — C o m e, s o l d i e r s.*

opinionem fefellisse Mommsenium qui Marlovium trochaeis in initio versus saepe usum esse, sprevisse fere prorsus medio in versu contendit (cf. *Romeo und Julia* pg. 114) iure iudicare nobis licet, quippe quum tragoedia *Tamburlaine the Great* fabula prae ceteris versuum varietate longe carens nostram sententiam comprobet. Atqui fatetur vir doctissimus exempla ex tragoedia *Edward the Second* afferens: *„Bei Marlowe blitzen bisweilen durch alle seine Eintönigkeit Funken einer genialeren Rhythmik durch. Aber es sind nur ganz einzelne panni purpurei: man kann Seiten lang die monotonsten Blankverse lesen, und begegnet dann auf einmal hinter einander mehreren trochäisch-variirten.“* Equidem vero iam quaque tragoediae *Tamburlaine the Great* pagina compluria exempla versuum trochaeis ornatorum inveniri et versibus a Marlovio compositis quos Mommsenius *„gewöhnliches Geklapper“* vocat (cf. *Romeo und Julia* pg. 140) trochaeos suaves non deficere affirmaverim.

Neque aliter atque apud Shaksperium in tragoedia *Tamburlaine the Great* quoque per trochaeum medio in versu positum altera pars eius sententia rhythmica redditur, (id quod ex exemplis supra allatis apparet), ita ut plerumque exclamatio (cf. Tb. I, 34) aut appellatio (cf. Tb. II, 206, 210) aut definitio adverbio facta (cf. Tb. I, 76) singulariter significentur; neque minus saepe verbum a nomine modo cogitationibus depingendis apto separatur, cf. Tb. 61; Tb. II, 213. Iam primo loco trochaeus nonnusquam ad verbum quod gravissimum orationis significatur cum accentu ponendum bene adhibitus est, cf.

Tb. I, 13 *Daily commits incivil outrages;*

Tb. I, 39 *Ready to charge you with a mighty army;*

et ad duo contraria melius efferenda in versibus Tb. I, 74:

The first day, when he pitcheth down his tents,
White is their hue . . . .
But if these threats move not submission,
Black are his colours, black pavilion:

trochaeum consulto positum esse manifestum est. Saepissime ad sententiam comprobandam vox trochaica *therefore* in initio versus collocata est.

Ut iam ex exemplis, quae supra attulimus, apparet, caesurae quoque adhibendae magna varietas versibus Marlovianis inest. Certe imprimis in initio primae partis tragoediae *Tamburlaine the Great* versus, in quibus pausa in finem lineae inciditur, plurimi inveniuntur. Quum usque ad id tempus poetae Britannici versibus inter se consonantibus, ubi auris similem sonitum exspectabat, uterentur, Marlovium quod primum versus *blankverse* formandos susceperat, compositioni versuum, quorum fines sententiam vel certe partem praestantem concludebant, summopere studuisse facile est intellectu. Quod saepius series longa versuum caesura carentium invenitur imprimis in longioribus orationibus cf. Tb. I, 26 in Tamerlani oratione, cuius initium est versus *With what a majesty he rears his*

looks! vel Tb. I, 97, ubi persona prima fabulae verbis ornatissimis sed versibus simplicissimis pulchritudinem Zenocratae amatae praedicat, singularis est causa simplicitatis Marlovii versuum saepe reprehensae, quae postea magis magisque evanuit. Attamen in sermone fervidiore saepissime caesuram adhibitam invenimus, plerumque post quartam aut quintam syllabam, prout caesura virilis aut femina fit, quas Marlovius amoene mutat. Saepe trochaei initio versus positi accedunt, quo eius facilitas etiam adaugeatur, cf. verba Techellis Tb I, 21:

As princely lions | when they rouse themselves,
Stretching their paws, | and threatening herds of beasts,
So in his armour | looketh Tamburlaine.
Methinks, I see | kings kneling at his feet,
And he with frowning brows and fiery looks
Spurning their crowns | from off their captive heads.

Neque minus raro exempla quae trochaeos et primo loco et post caesuram virilem tertio loco positos demonstrant in oratione fervidiore reperiuntur, cf.:

Tb. I, 23 *Mounted on steeds | swifter than Pegasus;*
Tb. II, 135 *Bastardly boy, | sprung from some cowards loins;*

Sed quod trochaei quarto loco multo rarius, quam tertio ponuntur, caesura quoque post syllabam sextam vel septimam rarius, quam post quartam vel quintam inciditur; ad quod trochaeus saepe initio versus accedit, cf.:

Tb. I, 95 *Pity the marriage bed, | where many a lord etc.*
Tb. I, 90 *Well said, Theridamas: | when holy Fates etc.*
Tb. I, 34 *Tell you the rest, Meander: | I have said.*
Tb. II, 212 *Marcheth in Asia Maior, | where the streams etc.*

Praeterea caesura nonnusquam quum per sententias breves, plerumque exclamationes aut compellationes (cf. exempla supra allata) medio in versu desinentes tum transpositione finis sententiae in sequentem versum facta efficitur. Eam poeticam licentiam, quae postea versibus Miltonis sin-

gularem illum colorem attribuit, quamquam in tragoedia *Tamburlaine the Great* perraro adhibitam ex causis a nobis supra dictis perspicimus; tamen poetam iam tum ea varietate usum esse non negandum est, cf.:

Tb. I, 88 *And wouldst thou have me buy thy father's love*
Which such a loss? tell me, Zenocrate.

Tb. II, 169 *One minute end our days, and one sepulchre*
Contain our bodies! Death, why com'st thou not?

Interdum caesura, quum in altercando verba unius personae in alterius orationem intra versum incidantur, existit, cf.:

Tb. I, 73 *Soldan. But speak, what power hath he?*
Messenger. Mighty lord,

Tb. I, 19 *Ortygius. Sound up the trumpets, then.*
All. God save the king!

Cuius exempla in tragoedia quidem *Tamburlaine the Great* etiam multo rarius, quam transpositio finis sententiae in sequentem versum, de qua supra egimus, inveniuntur, et fortasse magis ultro, quam consulto Marlovius scripsit. Neque tamen in posterioribus fabulis, quibus poeta noster dialogum accuratius expolire scit, eas licentias neglexit.

II. Deinceps ut erat propositum ad alteram licentiam, quam Mommsenius Shaksperio in faciendis versibus licere commemoravit, illustrandam transeamus: ad nonnullas syllabarum coniunctiones et verba et verborum coniunctiones dupliciter metiendas; quae res perinde ac Shaksperio versus facienti Marlovio propria fuit.

Ac primum quidem vocales nonnullarum flexionis terminationum aut syncope affectas aut plenas mensas a nobis observari necesse est. Ceterum rationem orthographicam syncopae syllabarum in *ed* terminantium aut plene metiendi, quod in editione operum Marlovii a Dycio confecta orthographia recens adhibita est, hoc loco negligendam esse praemittamus. Neque enim quaequam de legibus

a Mommsenio ad orthographiam Shaksperii illustrandam ex β textu tragoediae *Romeo and Iuliet* demonstratis (p. 94) cum orthographia, quam nostra editio Marlovii dramatum ostendit concordat. Nam ubicunque vocalis *e* excidit apostrophus, si in recenti ortographia ponendus fuisset, scriptus est, neque aliter ubi in textu terminatio ea plena scripta est, in versibus plena eius mensura postulatur.

Quod ad terminationum *ed* dupliciter metiendam attinet Mommsenium (p. 99) secuti de Marlovii fabulis has leges praecipuas probare possumus:

1) Syncope imperfecti fere semper admittitur; perraro plenum metiri licet cf.

Tb. I, 109 *Whose fortunes never masterèd her griefs;*

Tb. II, 125 *That never seaman yet discoverèd.*

2) Participii fere semper syncope est, si verbaliter usus est i. e. si cum verbo auxiliari coniunxit poeta, sin autem vices adiectivi attribuit, plerumque plenum mensus est. In versu Tb. I, 30:

I must be pleas'd perforce. Wretched Zenocrate!

utraque forma invenitur.

3) Participia radicum surde sonantium, quae prorsus partes adiectivi susceperunt, cf. Tb. I: *wicked* (B. 35), *vexed* (15), *distressed* (19), *despised* (18), *renowned* (38), *admired* (35), *winged* (39) a Marlovio ita tantum in versu ponuntur, ut plena metiatur. Quae epitheta ornantia, quae plena metitur poeta, permulta adhibuit, ita ut in priore parte tragoediae *Tamburlaine the Great* Mommsenius 83 numeret. Radicum sonantium participia plena mensa si minus medio in versu at persaepe in fine versuum a Marlovio scribuntur, id quod prae ceteris speciem Marloviani versus gravem et solemnem efficit. Omnino sicut multis in initio versus collocatis trochaeis, terminationibus plenis mensis et accentu ictis finis quoque versus significatur, praesertim quum versus interrogationem, exclamationem, affirmationem etc. contineant, cf.

Tb. I, 22 *Even as thou hop'st to be eternizèd,*

Tb. II, 148 *Yet in my thoughts shall Christ be honourèd,*

Tb. II, 221 *And shall I die, and this unconquerèd?*

Praeterea locis, ubi medio in versu syllabas plenas mensum esse poetam Mommsenius demonstrat (*Romeo und Julia, p. 101, Anmerk. 14*) Tb. I, 109 *masterèd*, 82 *shiverèd*, etiam addenda sunt exempla Tb. II, 216 *governèd*, 218 *extinguishèd.* Saepius verbum *environed* plenum mensus est Marlovius, cf.

Tb. I, 81 *Environèd with brave Argolian knights,*

Tb. I, 114 *Environèd with troops of noblemen,*

et in extremo versu mutilato:

Tb. II, 203 *How is my soul environed!*

quo loco verba *with grief* supplenda esse Dycius opinatur, ita ut tum medio in versu inveniretur.

Iam altera terminatio, quam consideremus, syllaba in *est* exiens est. In secunda persona singularis praesentis et praeteriti fortis semper syncopen eius poeta et statuit et scripsit neque unquam si terminatio, id quod multo rarius accidit, vocalem *e* scriptam praebet, vocalis pronunciatur, cf. Tb. I, 14 *conquerest,* etc. Semel tantum Marlovius tale verbum plenum mensus est, cf. Tb. I, 109 *dièst.*

Porro superlativos poeta semper plenos mensus est, cf. Tb. I, 16 *farthest,* 50 *highest,* 67 *chiefest,* 39 *keenest* etc., Tb. II, 133 *youngest,* 148 *clearest,* 149 *brightest* etc.

In syllabis in *es* exeuntibus pluralis et genitivi vocalis *e* nunquam sonat. Etsi nonnunquam poetam eas syllabas plenas mènsum esse inveniri possit, tamen ne unum quidem exemplum tota altera parte tragoediae *Tamburlaine the Great* explorare potui. De qua re Mommsenius (*Romeo und Julia, p. 107 Anmerk. 24*) quattuor locos ex prima tragoediae parte affert (de quinto *Furyes* (101, 17) ipse dubitat). Attamen in exemplo ab eo primo loco adhibito,

Tb. I, 42, 5 *O gods, is this Tamburlaine the thief?*

vox significata *gods* plena mensa (*goddès*) non scripta est,

neque distractionem statuere opus est; namque syllaba decima deficiens accentu, qui et propter notionem et propter trochaeum tertio loco et post pausam collocatum in verbo *Tamburlaine* ponitur, satis suppletur. Quippe versus similes apud Marlovium complures reperiuntur, ut infra accuratius exponetur. Idem iudicandum est de altero exemplo

Tb. I, 97, 19 *Taking instructions from thy flowing eyes;*
Eyes, when that Ebena steps to heaven,

quo loco vox *eyes* ex antecedente versu recepta tam gravi accentu effertur, ut thesis deficiens omnino compensetur. Ceterum haud scio an versus voce *which* ante *when* suppleta sanandus sit. Tertio loco

Tb. I, 63, 6 *Kings of Fez, Morocco, and Argier,*

vox *Kings* non plena mensa (*Kingès*) scripta est, ut omnino versus allocutiones eiusmodi continentes mutilatae sunt, praesertim quum verba aliena complectantur; praeterea is versus transpositione vocum *Fez et Morocco* et interpositione vocis *of* ante *Argier* facile restitui potest, cf. Tb. I, 89 et 137. Quod maiorem pro se habet probabilitatem, quam duas syllabas vocis *Kings* statuere. Denique loco Tb. I, 70, 19 *Iniurious villains, thieves, runagates!* vocem *thieves* plenam mensam neque negandum neque mirandum est.

Tertiam autem personam singularis praesentis Marlovius non minus saepe plenam metitur, quam syncopen facit. Quum syllaba plena mensa significetur in editione praesenti semper in literas *eth* exit cf. Tb. I, 74

Pleaseth your mightiness to understand,
His resolution far exceedeth all.
The first day when he pitcheth down his tents;

Etiam post sibilantes, quas syllaba plena mensa sequitur, cf. *pleaseth*, *pitcheth* non literam *s*, sed *th* positam invenimus.

Iam quod attinet ad quasdam voces dupliciter me-

tiendas apud Marlovium eaedem leges, quas apud Shaksperium vigere Mommsenius in editione tragoediae *Romeo and Juliet* exposuit (p. 118—134), valent. Quam ob rem in eo acquiescere possumus, ut qua arte Marlovius ad faciendos versus usus sit perquiramus tantumque leges praecipuas diligentiae causa breviter exponamus.

Primum vocalem brevem et apertam paroxytonorum poeta non metitur, idque nunc per synizesim nunc per syncopen efficit:

a) per synizesim semper apud binas vocales inter se concurrentes, quarum vocalis brevis *i(e)* vel *u* cum vocali insequenti colliditur: *ia, ie, io (eo); ua, uo, ui*, cf. Tb. I: *meridian* (77), *sufficient* (11), *direction* (56), *usual* (75), *precious* (16), *influence* (12), *circuit* (96) etc.;

b) per syncopen imprimis apud eas voces, quarum liquida simplex vocalem brevem et apertam paenultimae sequitur, cf.: Tb. I *senseless* (56), *enemy, threatening* (9), *thundering* (11) etc.

Deinde vocalem brevem et accentu carentem ultimae paroxytonorum non metiri poetae licet, id quod efficit:

a) per syncopen apud parvum numerum verborum bisyllaborum, quorum inferior litera *th* vel *rr* vel *v* est, cf. Tb. I *brother* (12), *warrant*, *even* (37) etc.

b) per crasin, si brevi vocali ultimae longa vocalis antecedit, cf. *being*, *seing*, *prayer*, *power* etc.

Ceterum poeta semper plena ea verba mensus est, prout ratio versuum faciendorum iubere videretur. Attamen numerus verborum, quorum syllabas Marlovius plenas metitur, prae primis Shaksperii fabulis praecipue in tragoedia *Tamburlaine of Great* permagnus et una cum verbis in *ed* et *eth* exeuntibus persaepe inventis ad duritatem versuum haud levi momento est, quae terminationibus dilatatis frequenter et sine causa adhibitis, praesertim proparoxytonis in *ion* exeuntibus, quae ex latina lingua oriuntur, adductis, cf. Tb. I: *possession* (25) *satisfaction* (37)

destruction (56) *munition* (73) *persuasions* (45) etc., multisque aliis terminationibus tractim pronunciatis, cf. *follower* (20, 21, 22 (bis) etc.) *senator* (28) *substantial, warrior* (46) *barbarous* (56) *idolaters* (71) etc. efficitur, ita ut versus sono lento afficiantur et saepe modo laborioso et difficili ad finem perducantur, cf.

Tb. I, 59 *He will with Tamburlaines destruction*

Tb. I, 37 *I take thy doom for satisfaction* etc.

Sed interdum Marlovius haud inepte voces plenas mensus est, cf.

Tb. I, 75 *But, if there threats move not submission*

Black are his colours, black pavilion.

Iam in universum de vocibus dupliciter mensis id statuere possumus: syllabas syncope affectas plerumque in initio et medio versu inveniri, reperiri extremo in versu plenas mensas. Medio in versu syllabae plenae mensae raro occurrunt, cf. Tb. I *investion* (18) *satiate* (74) *courageous* (84); solumque vocem *emperor* intra versum frequentius plenam poeta metitur, cf. I, 15, 43, 53, 70; interdum vocem *conqueror,* cf. Tb. I, 36. Omnino duae voces, ad quas actio universa fabulae spectat, quaequae nulla pagina desiderantur, (cf. *emperor* in fine versus in tribus actibus circa viginties) tantum plenae mensae se praebent: profecto signum notabile grandis fabulae dictionis. Ac solum, si eam vocem in allocutionibus in initio versus positam invenimus, utrum trochaeum an dactylum statuamus dubitandum est; semel medio in versu syncope est facta, cf. Tb. I, 39 *Shall make me solely emperor of Asia*, quo loco haud scio an versum dodecasyllabum legere quam vocem *emperor* dignitate trium syllabarum privare malimus; praeterea ea vox cum insequenti *of* connectenda esset, id quod saepius apud alia verba permissum est. Neque aliter res se habet in verbis *empery* et *emperess* (sola pagina 107 quater extremo versu plenum mensum), excepto quod hoc medio in versu syncopen accipit tumque fere semper

sine vocali *e* scriptum se ostendit, cf. Tb. I, 21, 65, 70. Et voces, quarum terminationes gravibus syllabis formantur, imprimis, quae in *ity* exeunt, cf. Tb. I: *nativity* (77), *nobility* (39), *amity* (38) plerumque plenae mensae in fine versus occurrunt, et verba sicut *slavery*, *misery*, *victory* non minus saepe plena mensa in fine versus, quam syncope affecta in initio et medio versu se praebent. Vocem autem *every* Marlovius semper syncope mutatam adhibuit. Quum poeta ille syllabis plenis metiendis strenue studet, tum verborum syllabas, quae in lingua syncopes vi iam evanuerunt, persaepe dilatat, id quod non multum ad versum *blankverse* perpoliendum afferre facile est ad intelligendum, cf. Tb. I, 92 *Some made your wives, and some your child(e)ren,* Tb. II, 199 *And blow the morning from their nost(e)rels;* cf. porro Tb. I *light(e)ning* (35, 95), *resemb(e)led* (47), *hund(e)red* (83), *ent(e)rails.*

Iam rarius etiam, quam proparoxytonorum vocalem brevem neque accentu elatam ultimae syllabae paroxytonorum non metiri poeta consuevit. Syncopen enim tantum literae *v* in *even* et *heaven* reperimus; quarum syncope semper perspicitur, cf. Tb. I, 77 *Even in Bithynia,* 77: *Even from this day* etc., quin etiam in thesi permittitur, cf.:

Tb. I. 14 *And, from their knees even to their hoofs below.*

At vox *heaven* crebro inventa raro medio in versu plena mensa est (Tb. I, 56), contra syncopen in initio et medio versu accipit, ut ex sexcentis exemplis apparet (Tb. I, 26, 77, 107 etc., Tb. II, 224, 226, 227 etc.). Porro verborum *brother, father, mother, whether* apud Marlovium nunquam est syncope; mihi quidem semper duplicia mensa occurrerunt. Atque crasin persaepe in initio et medio versu vox „*being*" accipit, quam duplicem mensam tantum in initio versus reperi, quo saepius ad sententiam interiectam instituendam posita est, cf.

Tb. I, 56 *Being suppos'd his worthless concubine;*

aliarum autem formarum huiusmodi, sicut *doing, going,*

seeing crasis vel perraro vel nunquam invenietur; cf. Tb. I. 159 *flying*. At contra saepissime crasis syllabarum in verbis ut *flower* (98), *shower* (145), *tower* (165) et praecipue in voce usitatissima *power* adhibita est. Quae verba plerumque duplicia mensa feminei versus exitus dubii sunt, ut vox *heaven* supra commemorata in fine versus. Vox *power* sola pagina 145 quater se ostendit, semel syncopen accipit, bis medio in versu, semel in fine versus duplex mensa reperitur. Vocis *fire* saepius formam dilatatam et bisyllabam invenimus.

Iam simili modo atque paroxytonorum crasis et syncope nonnullorum verborum coniunctorum interdum perspiciuntur, ita ut voces breves aut ab vocali aut ab consonanti *h* incipientes cum antecedente ad unam syllabam coniungantur. Sed quum versus Marlovianus paene semper grandi dictione illustratus sit, cae licentiae, quoniam plerumque in dialogo leviore adhibentur, raro tantum inveniuntur. Quare usitatissimas solum reperimus, *is it, it is* etc., cf.

Tb. I, 13 *Is it not a kingly resolution?*

Tb. I, 55 *'Tis more than pity such a heavenly face* etc.

neque minus saepe haec verba coniuncta duplicia mensa perspicimus, cf.:

Tb. I, 44 *Is it not brave to be a King Techelles?*

Tb. II, 51 *So; now it is more surer on my head,* etc.

Etiam articulus definitus *the* rarissime apocopen accipit, cf.

Tb. I, 39 *My lord, we heave discoverd the enemy* etc.

Denique in universum de Marlovii ratione dupliciter metiendi statuendum est, id esse maximum vitium versuum illius poetae. Etenim multa verba plena mensa, quibus studet et favet, cursum versus levem impediunt. Neque elegantia, qua ratione subtili et sententiae apta nunc duplici mensura nunc syncope syllabarum eiusdem vocis alii utuntur, Marlovio propria est, quippe qui una vel altera mensura tantum ad necessarium syllabarum versus numerum supplendum utitur. Ac nisi varietate pedum

trochaeorum et iamborum una cum varietate virilis et feminae caesurae versus conditi maiorem ostenderent varietatem et ornationem, certo in tragoedia *Tamburlaine the Great* omnino inopia varietatis lectores taedio et molestia afficeret.

III. Namque trochaica caesura, i. e. thesis bisyllaba gravi pausa inter binas syllabas cadente (quae tertia est de licentiis p. 4 commemoratis) perraro invenitur. Cuius licentiae exemplum versus

Tb. I, 81 *Not for the world Zenocrate; if I have sworn,*

continet, quo post vocem Zenocrate pausa inciditur. Praeterea duo alii loci

Tb. I, 39 *My lord, we have discoverd the enemy;*

Tb. I, 79 *That will maintain it against a world of kings;*

trochaica caesura incisi legi possunt, nisi syncopen statuere malis. Omnino plurimi ii loci, quum syllaba brevis post pausam collocata plerumque a vocali incipiat, cum contractione nonnullorum brevium verborum modo commemorata concurrent. In tragoedia tamen *The Massacre at Paris* locus mihi extitit, quo thesis post pausam a consonanti initium facit:

vol. II, 296 *Dares once adventure, without the king's consent;*

et in fabula *Edward the Second*

vol. II, 195 *Unto our cousin, the Earl of Glocester's heir.*

IV. Postremum magis, quam trochaica caesura Marlovius tum breviorum (id quod Mommsenius quartam discrepantiam cum usitata v. *blankverse* compositione numerat) tum interdum longiorum versuum senariorum immixtorum licentia utitur, quippe quos aliter atque Shaksperius, qui eos haud frequenter neque sine consilio condidit, saepius ultro medios inter versus ad regulam compositos scribit, cf.

Tb. I, 20 *To Memphis, from my oncle's country of Media,*

Tb. I, 92 *To entertain some care of our securities* etc.

Tb. II, 122 *Besides, king Sigismund hath brought from Christendom* etc.

Quorum versuum plus quam sex utraque in parte tragoediae *Tamburlaine the Great* explorari possunt, cf. in priore parte: p. 13, 7; 24, 3; 53, 7; 103, 15; in altera parte: p. 190, 10; 201, 5; praeterea p. 142 quattuor versus senarii, quorum longitudinem series nominum geographicorum, quae in usitatum versum *blankverse* inscribere difficile erat, adduxerat, cf. primum exemplum:

Now say, my lords of Buda and Bohemia.

Licet nonnullos locorum commemoratorum corruptione ortos esse et emendatione egere non negandum sit cf. l. c. Tb. I, 20 ubi versus corruptus antecedit, aut Tb. II, 201, 5, ubi editio 4to, quum Dycium sequamur, usitatum versum continet; ex allatis tamen exemplis Marlovium versibus eis senariis commoditatis causa usum esse clare apparet. Qua de causa nonnulli eorum compositione satis confragosa laborant, cf.

Tb. I, 13, 7 *Your grace hath taken order by Theridamas;*

omnino etiam nonulli versus nobis occurrunt, quorum compositio aspera regulam quamque spernit et negligit, cf.

Tb. I, 37 *Drums, why sound ye not, when Meander speaks?*

Tb. I, 51 *Long live Tamburlaine, and reign in Asia!*

qui perinde atque Shaksperiani exitus prosaici orationum habendi esse videntur. Profecto versus ut:

Tb. I, 48 *The fiery thirster after sovereignty*

et versus a Mommsenio ex *Edward the Second* allatus,

In other matters; he must pardon us in this

(vol. II, 220), quum saepius invenirentur, Mommsenii dictum de compositione versuum Marlovii „*gewöhnliches Geklapper*" comprobarent.

Pari ratione in condendis brevibus versibus Marlovius propriam iniit viam. Etenim in exclamationibus saepe versus novem syllabarum scribit, cf.:

Tb. I, 48 *Barbarous and bloody Tamburlaine!*

Tb. I, 49 *Bloody and insatiate Tamburlaine!*

Tb. II, 146 *Traitors, villains, damned Christians!*
quo fortasse thesis prima, voces ut *oh, thou, ye* exciderunt. Alii versus trochaici novem syllabarum etiam Tb. II, 178, 3; 198, 19 etc. inveniuntur. In versu Tb. I, 94 *The sworn destruction of Damascus* forsan vox *walls* ut extrema arsis supplenda est, perinde ac Tb. I, 97 et Tb. II, 125 *Vienna — walls.*

Praeterea quaternarium, quo Shaksperius vix usus est, frequentius scriptum reperimus.

Tb. I, 40 *And cry me „mercy, noble king!“*

Tb. I, 100 *That's well Techelles, what's the news?*

Tb. II, 129 *No talk of running, I tell you, sir*

Iam praeter eos dipodia et tripodia et adonius de ceteris brevibus versibus item atque apud Shaksperium persaepe, occurrunt, et a Marlovio saepe post pausam fortem in fine aut initio orationis scribuntur. Usitatissima est dipodia, cf. Tb. I *What now? in love?* (23) *Come, let us march* (25), *I will, my lord.* (34, Tb. II, 149, 208) *What then, my lord?* (45), *Put him in again!* (79), *Oh pity us!* (96) *Who's within there?* (99) Tb. II: *You know not, sir* (179), *We will, my lord* (187), *Whereabout lies it?* (207).

Tripodiae existunt Tb. I: *Meander, might I not?* (12), *So poets say, my lord* (36), Tb. II: *Thanks, good Theridamas!* (137), *Come to the tent again* (131), *We thank your majesty* (198). Pleraque igitur ea exempla interrogationes aut brevia dicta continent.

Contra adonium plerumque in oratione excitatiore reperimus: Tb. I: *Bring out my footstool!* (75) *Chide her, Anippe!* (78) Tb. II: *You will not go, then?* (182) *Here then, Olympia!* (193) Unum monopodiae hypercatalecticae exemplum in tragoedia *Tamburlaine the Great* perspicimus: Tb. I, 191 *What is it.* Nullum autem monopodiae simplicis invenitur, nisi forte exclamationem *News, news!* (Tb. I, 23) statuere velis, quae similiter ac dictum insequens interpositio prosaica habenda videtur. Etenim saepius orationem

prosaicam ad effectum festivum excitandum inter versus interiectam videmus, cf. Tb. I, 41, Tb. II, 174, 178, 179, 183; quare scena ridicula et ad plebis animum apta, qua Bajazeth in caveam inclusus cibatur, prorsus oratione poetica caret (Tb. I, 85, 86—88, 100). Pari modo scena scite scripta, qua Zabina coniugem mortuum aspiciens furet (Tb. I, 105), maximam partem versibus caret. Aeque Marlovius nuntium (Tb. II, 219) brevem relationem oratione prosaica referre fingit. Neque tamen est Marlovii proprium relationes servorum et domesticorum prosa oratione tradere et tragoediae *Tamburlaine* locus, quem modo commemoravimus, singularis est. Verba vero, quae Tb. I, 24 miles, Tb. I, 35 explorator et Tb. II, 145 nuntius faciunt, versuum ornatione delectant. Ubique orationem prosaicam versibus interiectam perspicimus, poeta effectum et successum quendam intendit.

V. Neque autem idem de alia interruptione versuum usitata, de usu versuum inter se sonantium iudicandum est. Quum enim ipsos versus varie inter se consonantes (*couplets*) Marlovius institutione versus *blank-verse* repelleret, illorum versuum parvum tantum numerum in fabulis eius nobis occurrere facile est ad intelligendum. Itaque in utraque tragoediae *Tamburlaine the Great* parte numerus eorum quindecim versuum parvus existit, inter quos etiam nonnulli a poeta, quamquam versus sonantes vitare studuit, magis ultro quam consulto scripti esse videantur, cf. Tb. I, 30

And now, fair madam, and my noble lords,
If you will willingly remain with me,
You shall have honours as your merits be;
Or else you shall be forc'd with slavery.

ubi unus de tribus versibus sonantibus sine consilio factus esse videtur, quippe quum linea tertia eiusdem soni effectui haud inepto duarum praecedentium prorsus nocuerit. Neque vero aliter de loco in altera tragoediae parte iudi-

candum est, ubi tres versus sonantes in media grandi oratione, sed eo loco insequuntur, quo sententia singularem vim atque effectum per versus adductum omnino non postulat. Tamerlanus se ipsum appellat *the scourge of God* etc. et deinde de se dicit p. 187:

I must apply myself to fit those terms,
In war, in blood, in death, in cruelty,
And plague such peasants as resist in me
The power of Heaven's eternal majesty.

Summe mirabile est exemplum Tb. II, 190, ubi alter versus sonans parenthesis est:

My lord and husband's death, with my sweet son's
(With whom I buried all affections etc.*)*

cf. praeterea Tb. II, 195 *divine* — *mine,* p. 108 *me* — *presently* etc.

Ac plerumque Marlovius, quum versus sonantes fecerit, in fine orationis grandis aut longioris collocat, cf.

Tb. I, 28 *Then shalt thou be competitor with me,*
And sit with Tamburlaine in all his majesty;

aut in peroratione vehementi ad urbem expugnandam adhortante, cf.

Tb. II, 168 *The crack, the echo, and the soldier's cry*
Make deaf the air and dim the crystal sky

praeterea cf. Tb. I *say-day* (36), *foe-grow* (47), *dry-die* (88), *be-we* (92), Tb. II *me-thee* (138), *ye-me* (139).

Etiam versus sonantes nonnusquam poeta concessit, quum una cum fine orationis grandis actum aut scenam ad exitum perducant, cf. verba, quae Tamerlanus contra hostes dimicaturus coram comitibus facit:

Tb. I, 67 *But come, my lords, to weapons let us fall;*
The field is ours, the Turk, his wife and all.

Sed versus sonantes, quos apud Shaksperium postea persaepe fines scenarum et actuum continent, Marlovius in tragoedia *Tamburlaine the Great* raro adhibuit; priore in parte tantum versus primi actus, quos prima

fabulae persona ipse loquitur, quique extremam scenae partem continent; tum in altera parte tertia scena secundi actus et actus tertius annumerandi sunt; ubi versus sonantes solum eo consilio poeta scripsisse videtur, ut exitum scenae manifestaret, sicut versus extremi utriusque partis tragoediae manifesto ad concinnitatem fabulae maiorem efficiendam sonant. Practerea Tb. I, 110 et Tb. II, 224 et 225, ubi dictio aspera et excitata fabulae molliori cedit habitui, orationes Zenocratae et Tamerlani moriundi versibus sonantibus insignes sunt. Simili modo atque apud Shaksperium Tb. I, 44 et 90 sententiose dicta versibus sonantibus expressa sunt.

Neque vero maior varietas et ambitus, ita ut toti actus versus sonantes continuerint, aut versus sonantes ad regulam certam inter se mutantes adhibiti sint, (id quod in Shaksperii fabulis haud raro reperitur), versibus sonantibus usquam concessa sunt. Practerea, ut ex allatis exemplis apparet, verba quae versuum sonantium exitus continent, paucis exceptis in constructione orationis minore auctoritate, plerumque pronomina *me, thee, ye, we* etc. sunt, quo pauci versus sonantes magis etiam evanescant. — Iam versus sonantes, quorum paenultima accentum ferat, nusquam in Marlovii fabulis explorari possunt; neque minus exitus versus *blankverse* (ut ita dicam) feminei prae ceteris rarissimi imprimis in tragoedia *Tamburlaine the Great* inveniuntur. Ii tunc omnino in versu iambo quinorum pedum, quum in versu heroico (*heroic verse*), tum etiam in versu *blankverse* pauci tantum concessi erant, quam ob rem exitus versuum virilis ut grandior et excelsior a Marlovio fere semper delectus est. In priore tragoediae *Tamburlaine the Great* parte tantum 62 exitus versus feminei reperiuntur, corum autem 37 sunt, de quibus metiendis iure dubitari potest (cf. 22 *heaven*, 9 *power*, 3 *shower*, *tower*, *bower*, *prayer*) quae verba medio in versu *blankverse* occurrentia fere semper syncope attigit, ita ut 25 tantum exitus ver-

sus vere feminei in tragoedia centum paginas continente aestimandi sint. Paullo aliter res in altera tragoediae parte se habet, qua exceptis dubiis verbis (29 *heaven,* 13 *power* etc.) numerus quoque minimus exituum 33 vere femineorum existit; inter quos etiam complures voces geographicae et latinae, quae ob formam versuum compositioni haud aptam in fine versus collocati sunt, versantur.

Pars II.

Nunc, quum versuum proprietates, quae primae Marlovii tragoediae *Tamburlaine the Great* insunt, tractavimus, in ceteris tragoediis quantum a legibus supra commemoratis discesserit quantumque versus magis magisque in dies perpolire didicerit poeta, explicare acquiescere possumus.

Sed tres tantum de fabulis ceteris Marlovio ascriptis praecipue consideratione dignas haberi posse praemittendum est: *The Iew of Malta, The Massacre at Paris, Edward the Second.* Quae dramata Marlovii opera existimanda esse nemo negat. Contra fabula illustrissima *The Tragicall History of Doctor Faustus,* quum duae editiones inter se multum distantes et ab aliis poetis interpolatae nobis tantum prostent, nobis minoris aestimanda et tragoedia *Dido, Queen of Carthage*, quae a Marlovio una cum Thomate Nash scripta est, prorsus negligenda est. Etenim quantum uterque poeta ad argumentum tragoediae contulerit, et quum testimonia omnia deficiant et quum ipsius fabulae verba et versus iudicium nostrum non adiuvent, difficile est ad discernendum [1]).

---

1) Ea quidem sententia editor Marlovii est, cf. vol. I p. XXXVIII —XL. Contradicit Collier, cf. *Hist. of Engl. Dram. Poetr.*

I. Atque fabulam ***the Tragicall History of Dr. Faustus*** et Dycius et Collier secundam de tragoediis Marlovii numerant eamque brevi post tragoediam *Tamburlaine the Great* et ante 28. Februarium 1588 scriptam esse statuunt, quo die ut poema *The Iudgment of God shewed upon one Iohn Faustus, Doctor in Divinity* [1]) argumentum eius fabulae excerpens imprimatur permissum est. Cuius fabulae de duabus editionibus nobis traditis a. 1604 et 1616 nullam textum a Marlovio ipso scriptum continere Dycius comprobavit [2]). Sed quum utramque fabulam a Dycio in editione Marlovii operum (vol. II) impressam inter se comparemus, editionem a. 1604 textum originalem paucis tantum versibus a poeta Thomate Dekker 1597 additis corruptum continere, editionem vero a. 1616 non modo textum magnis additamentis a poetis Bird et Rowley circa a. 1602 et haud scio an iam a prioribus adauctum, verum etiam omnino retractatum continere iure contendere possumus [3]).

Iam quod ad additamenta editionis a. 1616 (in priore a. 1604 non commemorata) attinet, eorum etsi res Marlovium scripsisse maxime probabile sit, quippe quum maximam partem in libro, *The History of Dr. Faustus* [4]), quem Marlovius semper secutus est, legantur (exceptis scenis scurrilibus prosaica oratione scriptis (vol. II, p. 110,

---

III, 226, qui versus Nashii minore varietato esse aestimat. Sed ad comparationem poetarum scripta Nashii nobis deficiunt.

1) cf. *The works of Chr. Marlowe etc. by A. Dyce,* vol. II, 157.

2) ibid. vol. II, XVII—XIX.

3) ibid. voll. II, XVII: . . . . . . *or is it, as the quarto of 1616 indisputably is, — an alteration of the tragedy by other hands?*

4) Id. quod popularis nostra historia de Doctore Fausto britannice conversa est, cf. *A Collection of Early Prose Romances edited by William I. Thoms. London, William Pickering 1828.* Vol. III.

113, 125 et dialogo inter papam, Raymundum et Brunonem p. 117), tamen genus dicendi medium et versus sine varietate compositi adeo a Marlovii arte diversi interpolationum originem clare demonstrant. Accedit quod versus sonantes, quibus Marlovius perraro utitur, tot in his additamentis adhibiti sunt, qui interdum per orationem totam existant, cf. p. 121, 136; quin etiam versus sonantes, quos vocant femineos, qui in nulla Marlovii fabula inveniuntur, hic se ostendunt, cf. p. 153

And now, poor soul, must thy good angel leave thee:
And jaws of hell are open to receive thee.

Sed ut additamenta ea, de quorum interpolatione nemo dubitet, negligamus, editionem a. 1616 etiam retractatam esse comparatio obiter facta utriusque textus plane ostendit. Versus enim inaequaliter compositi non modo saepe ita correcti sunt, ut versus longiores senarii et breviores in usitatam versus *blankverse* longitudinem permutati sint, ut allocutiones extra versum positae deficiant, ut versus in orationem prosaicam mutati sint et contra, verum etiam oratio ipsa saepius, neque vero semper bene, novata est, cf. verba extrema versus

A sound magician is a mighty god (II, 9)

in *demigod* (II, 91) mutata et versum

And long ere this I would have slain myself (II, 36).

ad repetitionem eiusdem vocis evitandam in multo leviorem mutatum:

And long ere this I should have done the deed (II, 108).

Quarum correctionum multas alias afferre, quae omnes nullam paginam textus a. 1616 lectionem originalem afferre nobis demonstrent, difficile non esset. Qua de re quametsi editio ea studium nostrum multum postulet, tamen ad ea, quae nobis proposita sunt, nullo usu esse potest.

Atque vero, quamquam nobis editionem a. 1604, quae ut Dycius animadvertit, *somewhat mutilated and corrupted*

(vol. II, XVIII) tradita est, fabulam a Marlovio ipso scriptam non sine ulla interpolatione tradere constat, sed eam additamentis Dekkeri et forsitan alius anonymi poetae[1]) auctam esse probabile est, tamen illos ab alienis additos versus tantum scenas scurriles oratione prosaica scriptas attingere verisimile est, quae quidem propter plebis studia interponendae a Marlovio, cui et consilium et ingenium defecisse videntur (id quod ex paucis aliarum fabularum scenis apparet), satis parvo studio tractatae erant.

At contra poeticae dramatis partis, quae in universum non multo plus, quam dimidium textum continet, et a Marlovio qui versus componendos maxime curavit ex principio non minor composita erit, Marlovium autorem fuisse pro certo aestimandum est, imprimis ubicunque grande dicendi genus elucet velut in extremo dramatis monologo, ubi versus paucis exceptis editio a 1616 intactos recepit; quamobrem tales loci satis firmum fundamentum ad proprietates versuum Marlovii in hoc quoque dramate exponendas nobis offerunt.

Atque nisi in poemate vetere (*The Iudgment of God, shewed upon one Iohn Faustus* etc.) supra commemorato ad tempus huius dramatis disquirendum inniti possemus, iam propter similitudinem magnam verborum et versuum eius cum tragoedia *Tamburlaine the Great* brevi post eam fabulam id scriptum esse affirmare possemus. — Primum

---

1) cf. vol. I, XVIII. Sed suspicio, quam Dycius ex simili linea comoediae anonymae *The Taming of a Shrew* a. 1594 impressae et tragoediae *The Tragicall History of Dr. Faustus* habet, non est gravi momento, quum is versus a retractantibus Bird et Rowley, qui meminerunt, additus esse potest; cf. Ulrici: „*Christopher Marlowe und Shakespeare's Verhältniss zu ihm*" *im Jahrbuch der deutschen Shakespeare-Gesellschaft, herausgegeben von Friedrich Bodenstedt, Berlin 1865. Jahrgang I, p. 64, Anmerkung 1.*

enim, quum obiter fabulam perspiciamus, perinde atque in tragoedia *Tamburlaine the Great* raro tantum et plerumque in dialogo et sermone vulgari vicem orationis nobis occurrere mirandum est. Monologi longi et orationes copiosae et responsiones in utraque fabula praevalent. Neque minus poeta admixtis similitudinibus splendentibus et metaphoris hyperbolisque grandibus et multis epithetis ornantibus genus dicendi gravissimum secutus est, excepto quod minus saepe in pompam verborum monstrosam depravetur. Satis enim raro in fabula incolas Olympi heroesque Iliadis et Odysseae advenientes fingit, qui in tragoedia Tamburlaine the Great fortibus viris sive Scythis sive Aegyptiis ad augendam gloriam inservire debebant. Igitur Marlovium, qui brevi tempore postquam e gymnasio egressus est, tragoediam scripsit, libenter viam tritam invasisse apparet, ita ut fructus poetici ingenii diis et heroibus antiquitatis ornaverit. Ne plura, eas res, quae in gymnasio animum moverunt ut notas doctrinae et urbanitatis in primo opere ostendere studuit, num heroes Scythae et Mauri unquam de Iove, Iunone, Parcis, Hercule, Achille certiores facti sint, necne, negligens. Itaque in tragoedia *The Tragicall History of Dr. Faustus* se multa didicisse ostendit. Praeterea grave dicendi genus rarius et solum, ubi aptum videatur, secutus est idque eo maiore effectu ac successu, quum versus omni qua potuit varietate ornaverit. Quum enim semper, ubicunque chorus in scenam inducitur ad res breviter illustrandas (cf. p. 5, 43, 50, 83) aut ubicunque sermo inter Faustum et Mephistophelem describitur, verba et versus omnino ad normam compositi sint et imprimis plurimi hi iambi non trochaeis permutati et pausa fine versus posita divisi sint, partes excitatiores praesertim monologi, quibus Faustus animum inter coelum et tartarum ancipitem, poenitentiam perturbationemque animi ardentem describit, summa et vocabulorum et versuum elegantia et pulchritudine sunt. Ut de

verbis grandibus illius fabulae Marlovianae et de varia versuum compositione recte iudicare discas, brevis monologus, qui sequitur afferri potest (vol. II, p. 26):

Now, Faustus, must
Thou needs be damn'd, and canst thou not be sav'd:
What boots it, then, to think of God or heaven?
Away with such vain fancies, and despair;
Despair in God, and trust in Belzebub;
Now go not backward; no, Faustus, be resolute:
Why waver'st thou? Oh, something soundeth in mine ears,
„Abiure this magic, turn to God again!"
Ay, and Faustus will turn to God again.
To God? he loves thee not;
The god thou serv'st is thine own appetite,
Wherein is fix'd the love of Belzebub:
To him I'll build an altar and a church,
And offer lukewarm blood of new-born babes.

Quid multa? Qua maiore suavitate et una brevitate, qua maiore verborum vi dubii motus animi inter duo periculosa consilia ancipitis describi, qua maiore amoenitate et varietate versuum efferri possunt? Quum in priore monologi parte versus animum ancipitem et dubitantem personae verba facientis depingentes caesuris fortibus et variis immixtis choriambis et versibus longioribus et brevioribus excitatam speciem praebent, in extremis quattuor versibus, postquam Faustus verbis simplicibus magno effectu brevi tripodia expressis *To God? he loves thee not* consilium cepit, denuo forma iambica gravis existit. Neque vero Marlovius, qui erat ingenio ardente et acuto ad hos aliosque locos illustrandos novam et inauditam versuum rationem excogitavit, imo potius praeditus auribus teretibus ingenioque poetico cogitationes grandissimas, inscius, quum ab usitata versus *blankverse* forma discedat, verbis aptis mandavit.

Iam monologus extremus Fausti suavitate verborum

delectans singulare est testimonium, qua arte subtili et ingeniosa Marlovius, quum grandes res describendae ingenium incenderint atque inflammarint, versus cum sententiis optime concordantes facere scierit. Cuius ultimos tantum versus hoc loco afferre mihi liceat:

Curs'd be the parents that engender'd me!
No, Faustus, curse thyself, curse Lucifer
That hath depriv'd thee of the joys of heaven.
[*The clock strikes twelve*]
Oh, it strikes, it strikes! Now, body, turn to air,
Or Lucifer will bear thee quick to hell!
[*Thunder and lightning*]
Oh, soul, be chang'd into little water-drops,
And fall into the ocean, ne'er be found!
[*Enter Devils*]
My God, my God, look not so fierce on me!
Adders and serpants, let me breathe a while!
Ugly hell, gape not! come not, Lucifer!
I'll burn my books! — Ah, Mephistophilis!
[*Exeunt Devils with Faustus*]

Praeter magnam caesurae adhibitae varietatem imprimis trochaei magno effectu interiecti summam illorum verborum vim eo magis adaugent. Omnino haec duo sunt, quibus versus tragoediae Fausti tragoediam *Tamburlaine the Great* superant.

De trochaeis primo loco positis numerus participiorum praesentis durorum satis minor est, nam locis novem vel decem, quibus existunt, verbum auxiliare *having* (p. 6, 44) solum ineptum occurrit; contra trochaeo-dactyli ut *shadowing* (13), *shortening* (62) non sine successu conditi sunt. Ceterum trochaei multi primo loco positi, id quod ex loco nunc citato apparet, gravitati allocutionum, exclamationum, adhortationum similiumque verborum inserviunt; item trochaei medio in versu scripti saepius, quam in tragoedia *Tamburlaine the Great* inveniuntur itaque

varietatem saepe repetitam caesuris fortibus efficiunt. Eae autem satis raro transpositione finis versus in sequentem sententiam efficiuntur (cf. p. 9, 13, 27, 32, 71, 80). Simplices sententiae sermonis vulgaris, monologorum chori multaeque exclamationes, allocutiones etc. orationis excitatioris longam periodum non concedunt.

Deinceps quod attinet ad dupliciter metiendum in universum idem quod de tragoedia *Tamburlaine the Great* expositum est, valet. Attamen poetam didicisse non negandum est. Neque enim unquam terminationem *ed* tertiae personae imperfecti radicum sonantium et voces quae fere semper syncope vel synizesi laborant in fine quidem versus plenas mensas esse invenitur, quum medio in versu cursum non saepe impediant.

Atque trochaica caesura in tragoedia Fausti quoque perraro admissa reperitur,

cf. p. 7 *Sweet Analytics, 'tis thou hast ravish'd me,*

praeterea nonnunquam in longioribus versibus, qui corrupti videntur, cf. p. 33

But, Faustus, I am an instance to prove the contrary

For I am damn'd, and am now in hell,

ubi uterque versus contra regulam compositi sunt (in textu a. 1616 correcti). Quamquam versuum longiorum et breviorum immixtorum genuinam nobis traditam esse lectionem contendere non possumus, quoniam, ubicunque correctio aut consulto aut inscie facile a manu aliena suscipi potuit, praesertim versu cum oratione pedestri permutante exstant, tamen Marlovium ea licentia satis multum usum esse affirmare nobis licet, namque circa octo usque ad novem v. alexandrini magis minusve bene compositi locis minime dubiis reperiuntur et quidem editione a. 1616 consentiente cf.

p. 9 *Their conference will be a greater help to me,*

p. 64 *What art thou, Faustus, but a man condemn'd to die?*

porro cf. p. 9, 8; 13, 1; 20, 12; 21, 14; 26, 23; 28, 4; 30, 6.

Multo etiam saepius breviores versus omnis generis occurrunt, saepissime dipodia et tripodia, rarius monopodia, cf. p. 21 *In hell*, p. 27 *Of wealth*; quin etiam quaternarius inusitatus nonnusquam adhibitus est, praecipue loco editione a. 1616 probato, cf. p. 33:

But, leaving of this, let me have a wife,
The fairest maid in Germany;
For I am wanton and loscivious
And cannot life without a wife,

ubi versus quaternarius brevior bis scriptus optime sententiae excitatiori respondet.

Iam supra partem fabulae prosaicam paene dimidiam fabulam occupare commemoratum est; cui quum prae ceteris additamenta D e k k e r i vel alius poetae adscripta esse iure suspicandum sit, Marlovii artis vestigia accurate explorari non possunt. Sed scena, qua Faustus se diabolo obligat et disputationes nunc oratione prosaica nunc versibus scriptae inter Faustum et Mephistophelem et colloquium Fausti cum studiosis ante mortem habitum et monologi ab *seven deadly sins* facti, quorum verba dura Marlovio propria sunt, probabiliter ab illo poeta scripta sunt.

Versus sonantes in antiquiore editione a. 1604 fere omnino deficere iam supra exposuimus; duos tantum verba chori p. 44 et 84 formant. Exitus versus pure feminei sex reperiuntur.

II. Iam tragoedia ***The Iew of Malta*** fabula illa cruentissima κατ' ἐξοχήν appellanda quo anno scripta sit, non magis accurate quam quo tragoedia *Faustus* demonstrari potest exque prologi verbis *Now the Guise is dead* tantum eam post diem XXIII mensis Dec. 1588 factam esse debere elucet. De qua re Dycius opinionem non communicavit, verum Collierum, qui a. 1589 aut 1590 eam scriptam esse suspicatur [1]) adducit.

1) cf. *The works of Chr. Marlowe by A. Dyce*, vol. I, pag. XX.

Atque eam tragoediam post Faustum scriptam esse ratio quoque versuum comprobare videtur. Neque enim trochaeorum adhibitorum verborumque dupliciter mensorum inter utramque tragoediam discrimen singulare perspicimus, sed constructionem verborum et dialogum a poeta perfectos esse facile intelligimus. Namque et transpositio finis versus in sequentem versum, quae in tragoediis *Tamburlaine the Great* et *Doctor Faustus* perraro exstat, in hac tragoedia persaepe velut in pagina una compluries reperitur, cf. prologum, ita ut versus maiore varietate et alacritate ornati videantur, et constructio verborum praesertim longiorum orationum non iam simplicitate dura prioris temporis, sed sententiis interiectis longioribus additis forma perpolitiore sit. Atque cogitationum et versuum bene constructorum exemplum quum monologus brevis a quo Barabas actum secundum incipit tum monologus Iudaei vol. I, p. 268 etc. ostendunt. Neque minore arte dialogus scriptus est. Etenim quod vicissitudo orationis intra versum, id quod in duabus praecedentibus fabulis haud frequenter existit, locis aptis saepe adhibita est, actio et verborum suavitas et amoenitas longe adaugentur, sicut in brevi dialogo inter Ludovicum et Matthiam habito v. I, 261 versus nonnunquam eo modo sunt interrupti, manifesto ad magnum studium, quod hi amatores in personam dilectam habent, describendum. Qua re fere versus in duas dimidias partes pares divisus est, ita ut pausa aut post secundum pedem aut post tertium incidatur cf. vol. I,

p. 261 *Lud: Is she so fair? Math: And matchless beautifull,*
p. 255 *B: To go into my house. A: That may they not;*

Interdum quoque versus in quaternarium et in monopodiam dividitur, cf.

p. 256 *A: What will not Abigail attempt? B: Why so,*
ibid. *A: I did. B: Then, Abigail, there must my girl,*

quin etiam p. 264 bis subiectum orationis mutatur:

B: Who's there? A: Who's that? B: Peace, Abigail, 'tis I. qua re, ut ex verbis apparet, exspectatio anxia scite depingitur.

Praeterea nonnullos versus breves non suppletos multo saepius, quam in prioribus fabulis exstare invenimus, cf. p. 291, ubi versus et oratio pedestris inter se permutantur. Qui versus breves in initio actus quarti p. 305, ut interpellationes mutuas personarum verba facientium significent, satis inepte adhibiti sunt, quum scenae versus si contracti versum unum formarent, forma multo minus duriore essent. Sed rarius, quam in prioribus fabulis senarii versus immixti sunt, (cf. tantum p. 335, 16; 338, 23; 348, 26) et oratio prosaica multo rarius, quam in tragoedia *Faustus* plerumque in scenis scurrilis generis, quibus personae plebis agunt (cf. p. 314 etc), occurrit.

At contra versibus sonantibus in ea fabula paullo saepius poeta usus est. Praeter enim usum vulgarem ita ut in fine orationis excitatioris aut actus aut scenae scribantur, carmen amorosum versu heroico (*heroic verse*) scriptum p. 319 invenimus scenae inter servum et lenam finem imponere, cuius verba granditatis et affectus plena satis mire cum earum personarum reliquo sermone vulgari consentiunt. Praeterea versus sonantes etiam bis (cf. vol. I, p. 274 et 279) ad verba summisse dicta accentu efferenda factos, quae dicendi ratio in tragoedia *Tamburlaine the Great* fere nunquam, in tragoedia *Faustus* raro, hac in fabula primum saepius occurrit, invenimus. Exitus versus, qui nominantur feminei, etsi paullo saepius, quam in Fausto, tamen non plura, quam in tragoedia *Tamburlaine the Great* reperiuntur. Atque etiam proprietatem versuum eius fabulae scilicet crasim verborum brevium aut a vocali aut ab *h* incipientium cum voce antecedente (*a, it, in, he* etc.) saepe factam adiicere possumus. Quae verba contracta in fabula multo plura, quam in tragoediis *Tamburlaine the Great* et *Faustus*, ubi nonnulla tantum, ut *I'd*,

I'll, he'll occurrunt, inveniuntur. Eae contractiones et aliae ut *there's, to't, he's, let's* etc. et abbreviationes, ut *'tis, 'twere* et apocope articuli definiti, ut *the incertain, the Italian* (276) etc. omnibus paginis perspici possunt. Quae quamvis minime ad versus perpoliendos inserviant et praesertim quum in fine versuum inveniantur, offendant, tamen eo usu Marlovium magis magisque in dies ab accuratiore observatione legum originalium versus *blankverse* discessisse comprobatum est.

III. Denique ad historica duo dramata Marlovii perspicienda primumque ad ***The Massacre at Paris*** transire in animo est. Quam fabulam post d. II. m. Aug. 1589 scriptam esse, quo die Henricus tertius, cuius mortem finis continet, vulnere pridie a Iacobo Clementi accepto obiit, pro certo affirmari potest. Ex annotatione in „*Henslowe's diary*" eam die XXX. m. Ian. 1593 actam esse, ad quod vox *ne (new)* addita est, Collier primam eo die actionem fuisse concludit[1]): *It was perhaps Marlowe's last play, as he was killed about six months afterwards.* Qua cum opinione Dycius, qui in editione eam post *Edward the Second* imprimendam curaverit, consentire videtur. Ulrici[2]) vero illam Henslovii adnotationem id tantum comprobare statuit eam fabulam ipsius in scena eo die primum neque autem omnino primum actam esse, et ex tractatione parum accurate adumbrata fabulae poetam propterea quod caedem eam modo factam statim in scenam inducere voluerit, tragoediam cursim scripsisse concludit. Cuius viri docti sententiam sequi versuum quoque compositio nos movet, eamque fabulam prius etiam quam tragoediam *The Iew of Malta* cuius ad tempus definiendum mors ducis *de Guise*,

---

1) cf. *The works of Chr. Marlowe by A. Dyce*, vol. I. p. XXIII.

2) cf. *Jahrbuch der deutschen Shakespeare-Gesellschaft* I, p. 68.

res eodem historiae francogallicae aevo facta adiuvat scriptam statuendum esse videtur.

Quamquam fabulae textum, quem Dycius [1]) *both mutilated and abounding in corruptions* vocat accepimus et ea de re satis caute iudicare debemus, tamen nonnullae scenae praecipue ad finem fabulae a corruptelis et mutilationibus liberae inveniuntur. Qui loci (cf. vol. II, p. 307, 319—320, 324—332, 348), quum versus prorsus ad normam compositos, in quibus trochaici versus primo loco satis raro positi sunt et caesurae fortes medio in versu desiderantur, respiciamus, multo magis simplicibus versibus tragoediae *Tamburlaine the Great* et partium *Fausti* tranquillarum, quam versibus varietate et suavitate plenis tragoediae *The Iew of Malta* similes sunt. Atque Marlovium a tanta arte versuum faciendorum, quam in tragoediis *The Iew of Malta* et *Edward the Second* manifestat, quamvis illam fabulam minima diligentia scripserit, ad compositionem tam duram et simplicem versuum regressum esse vix putari potest. Namque paucis tantum orationibus excitatioribus versum perpolitum scripsit, cf. in verbis Guisii moriundi (p. 347) aut in obsecrationibus a Catharina regina contra Henricum regem filium exclamatis (p. 350); attamen plerumque eas scenas versibus usitatis descriptas invenimus, cf. p. 330, ubi Guisius feminae adulterae gravibus verbis culpam exprobat et p. 333 minas Guisii contra Mucheroun. Neque aliter verba multa dupliciter mensa imprimis in fine versus posita, praeterea alexandrini saepe occurrentes (circiter 15—16), qui in tragoediis *Tamburlaine the Great* et *Faustus* persaepe, perraro in tragoediis *The Iew of Malta* et *Edward the Second* reperiuntur, tempus prius demonstrant. Et ipsi ii alexandrini fere omnes inter versus ad regulam compositos et

1) cf. *The works of Chr. Marlowe ed Dyce*, vol. I, p. XXIV.

locis haud suspicandis exstant, ita ut textum corruptum statuere non possimus. Aeque versus sonantes ut in prioribus fabulis perraro et sine consilio adhibiti sunt, cf. monologum Guisii p. 299—302. Tantum bis eos scenam finire invenimus (p. 296, 319), et ipsi versus sonantes ad finem fabulae usitati deficiunt.

Sed imprimis de versibus brevioribus innumerabilibus nunquam duos insequentes neque in dialogo agitato ad unum v. *blankverse* coniungi posse mirandum est. Iam si tragoedia *The Massacre at Paris* postea quam tragoediae *The Iew of Malta* et *Edward the Second* scripta esset, quarum sermones Marlovius eo artificio tanta amoenitate et suavitate ornabat, profecto ille hac in fabula non neglexisset, quum nunc multis dipodiis, tripodiis, quaternariis etc. non coniunctis, qui non omnes corrupti haberi possunt quorumque nonnulli saltem coniungi posse debuissent, versus forma durissima sint, ita ut saepe v. *blankverse* vix suspiceris (cf. p. 308—314).

IV. Quare, quum de opinione Collieri fabulam *The Massacre at Paris* ultimam a. Marlovio scriptam esse valde dubitandum est, restat nunc altera fabula historica multo consideratione dignior ***Edward the Second***, quae multo magis extremo loco ponenda videatur. Eam Warton[1]) anno 1590 scriptam esse contendit neque vero argumentis comprobavit, Collier et Dycius[2]) inter ultimas Marlovii fabulas tempus accuratius non disquirentes numerant. Optimum nostri poetae drama esse omnes viri historiae literarum periti consentiunt, cf. *Dyce, the works of Chr. Marlowe* I, XXII: *But, taken as a whole, it is the most perfect of his plays; there is no overdoing of character, no turgidity*

---

1) cf. *Warton, History of English Poetry*, vol. IV, 266.

2) cf. *The works of Chr. Marlowe by A. Dyce*, vol. I, pag. XXII.

of language. Solus Bodenstedt[1]) ab eo discedit, argumenta diligentiora non afferens, et Ulrici in commentatione commemorata[2]) fabulam iudicio etsi severo tamen iusto subiecit. Sed ut indicium de ceteris eius fabulae laudibus praetermittamus, versuum compositionem in hoc dramate maxime perfectam idque ea de re extremum poetae opus esse iure contendere nobis licet. Etenim omnes varietates et suavitates in componendis versibus, quarum aliae in aliis fabulis praevalebant, hac in tragoedia consociatae reperiuntur; profecto versus nobis occurrunt, qui vix vituperationem subeant.

Praeter trochaeos multos primo loco positos trochaei medio in versu multo saepius adhibiti sunt (c. triginta tertio et quindecim secundo et quarto loco), id quod maiorem varietatem in usu caesurarum fortium efficit. Quam ad rem demonstrandam nonnullos versus afferre licebit, qui non multo labore investigati, sed ex locis sexcentis electi sunt, siquidem et ante hunc locum et postea versus varietatibus abundantes exstant. Verba enim dico, quibus Spenser iunior, gratiosus apud Eduardum, querelas de capto rege effundit, vol. II, p. 256

Oh, is he gone? is noble Edward gone?
Parted from hence, never to see us more?
Rent, sphere of heaeen! and, fire, forsake thy orb,
Earth, melt to air! gone is my sovereign,
Gone, gone, alas, never to make return!

Verba plena mensa, quae imprimis medio in versu offendunt, in prioribus Marlovii fabulis saepe inventa, hic non perspiciuntur; sed versus per dactylos haud inepte interiectos maiore suavitate ornati sunt, cf.

1) cf. *Shakespeare's Zeitgenossen und ihre Werke. In Charakteristiken und Uebersetzungen von Friedrich Bodenstedt.* Berlin, 1860. vol. III, 166.

2) cf. *Jahrbuch der Shakespeare-Gesellschaft,* I, p. 69—70

vol. II, 208 *The idle triumphs, masques, lascivious shows*
And prodigal gifts bestow'd on Gaveston,
Have drawn thy treasury dry, and made thee weak;
The murmuring commons, overstretchèd, break.

Atque unum id, verba ut *having, seeing, being,* quae crasi contracta sunt, quaeque saltem oxytona esse deberent, tamen satis saepe in versus thesi posita esse reprehendendum esse videtur, cf. vol. II

192 *Having brought the Earl of Cornwall on his way,*
193 *Seeing thou hast pleaded with so good success.*

Distractiones non pauciores in tragoedia *Edward the Second,* quam in ceteris inveniuntur, neque autem, quum tantum in verbis, quibus muta cum liquida coit, concedantur, male sonant, cf. *Mowb(e)ray* (170) *chap(e)lain* (173) *frust(e)rate* (178) *gent(e)ry* (212). Caesura trochaica pariter ac prius raro invenitur, cf.

170 *Th' undaunted spirit of Percy was appeas'd,*
195 *Unto our cousin, the Earl of Glocester's heir,*

neque vero saepe in primis Shaksperii fabulis exstat. Quod ad ceteras versuum proprietates attinet in universum idem quod de tragoedia *The Iew of Malta* iudicandum est. Coniunctiones nonnullorum brevium verborum cum praecedente aut insequente pari modo adhibentur neque vero unquam versus duros reddunt. Breviores versus plurimi inveniuntur et una cum mutatione personarum verba facientium saepe et diligenter intra versum *blankverse* usitati dialogum magna varietate ornant et in longioribus monologis orationi compositione sententiarum et versuum artificiosa speciem excelsam et gravem attribuunt. Neque usquam fere oratio prosaica scripta est (p. 256). Sed ubicunque oratio sermoni vulgari congruens poscitur, ut in oratione praeconis (p. 232), versus simplices et ad normam facti inveniuntur. Versus sonantes non saepius, quam in tragoedia *The Iew of Malta* adhibentur eodemque successu scribuntur et ad orationes

excitas efferendas (p. 165, 167, 193, 197, 200, 212, 215, 217, 219, 245) et ad finem longioribus sermonibus et scenis imponendum (p. 185, 197, 215, 235, 242, 262, 256). Ex contrario exitus v. *blankverse*, qui dicuntur feminei, multo plures in hac fabula inveniuntur, quam in prioribus (70—80 exceptis multis dubiis ut *heaven*, *tower*, *power* etc.).

V. Itaque quum rationem, qua Marlovius v. *blankverse* perpoliendum curaverit per fabularum seriem, quae statuenda videatur consideravimus, tum in omnibus tum praecipue in tragoediis *The Iew of Malta* et *Edward the Second* versuum suavitatem adaugeri perspeximus. Atque vero licet quin Marlovius poeta magno praeditus ingenio propria arte versum ad gradum perfectionis, quem in ultimis fabulis videamus, adducere potuerit, non dubitari possit, tamen brevi ante has fabulas actas tempore Shaksperium prima ingenii documenta, quae Marlovio exemplo esse potuerint, edidisse, non silentio dissimulandum est [1]). Simili vero modo Shaksperius Marlovii primas fabulas exemplar versuum postea perfectorum sibi assumpsit. Etenim tragoedia *Titus Andronicus* [2]) a. 1589 atque adeo

---

1) cf. *Shakspere's Werke, herausgegeben und erklärt von Dr. N. Delius. Elberfeld 1864.* vol. IV. *Einleitung zu King Henry VI, Part III, p. VIII*:

Freilich beruhte auch diese Hypothese (nämlich dass Marlowe der Verfasser sei von The first Part of the Contention etc. und The True Tragedie etc.) auf der Annahme, dass das einzige Marlowe'sche Drama, das sich in manchen Aeusserlichkeiten mit den drei Theilen des K. Henry VI zusammenstellen lässt, Edward II. nämlich, früher als diese geschrieben sei, während aller Wahrscheinlichkeit nach Marlowe bei diesem historischen Schauspiel, dem letzten, das er verfasste, schon Etwas von Shakspere's Henry VI. und dessen erster Bearbeitung, damals bereits aufgeführt, wenn auch nicht gedruckt, sich zum Muster und Vorbild genommen hat.

2) cf. *Shakspere's Werke, herausgegeben und erklärt von Dr. N. Delius. Elberfeld* 1864. vol. I, *Einleitung zu Titus Andronicus.*

compluribus annis ante et fabula *King Henry VI*[1]) vel certe *The first Part of the Contention* etc. et *The True Tragedy* (si Shaksperium antea ea fecisse iudicamus) ante a. 1592 facta est, quippe quum versus ex *The True Tragedy* in libello Greenii „*A Groat's worth of wit*" etc., quod a. 1592 in lucem prodiit, afferatur. Igitur *the first Part of the Contention* iam antea, probabiliter anno 1591 scripta est. Quae fabulae, etsi tum quoad scimus non typis exscriptae fuerint, tamen iam actae et ut ex Greenii libello apparet, ab omnibus cognitae fuerunt.

Iam complures proprietates versuum, quibus fabulae *The Iew of Malta* et *Edward the Second* prae ceteris Marlovii tragoediis insignes sunt, in illis Shaksperii fabulis nobis occurrunt, qua de causa Marlovium ab aequali illo summo, quemadmodum fabularum illius genus dicendi mediam et actionem moderatam, quibus rebus fabula *Edward the Second* imprimis fabulam *The Massacre at Paris* superat, ad imitandum sibi proposuisse videatur, didicisse non negandum est.

Iam praeter constructionem verborum versuum compositione adductam, quam in duarum earum Marlovii fabularum monologis primum adhibitam invenimus, dialogum quoque oratione excitatiore inflammatum reperimus imprimis altercatione intra v. *blankverse* saepissime permissa; quam licentiam poetam in *The Iew of Malta* primum adhibuisse perspicimus. Neque minus sententiarum breviter dictarum in Shaksperii Marloviique fabulis maior est varietas, quam in prioribus, quum versus alexandrini primum a Marlovio crebro facti in fabulis *The Iew of Malta* et *Edward the Second* perinde atque apud Shaksperium perraro exstant. Pari modo versus sonantes, qui in primis Shaksperii fabulis haud parvum locum ob-

---

1) Shaksp. v. Delius vol. IV, *die Einleitungen zu den drei Theilen von King Henry VII.*

tinent, in iis tragoediis multo saepius quam in prioribus inveniuntur. Imprimis vero exitus versuum sonantes a Marlovio semper fere diligenter vitatos et in tragoedia *The Iew of Malta* non magis saepe quam in Shaksperii *Titus Andronicus* inventos, propterea quod terminationes eas molliores orationi grandi et severae illius cruentae tragoediae non aptas poeta habuit, et in Marlovii *Edward the Second* et in *histories* Shaksperii saepissime exstare observari potest, qui in alia tragoedia historica *The Massacre at Paris* aut paullo priore aut eodem tempore quam Shaksperii prima facta vix cognoscuntur.

Similitudinem versuum Marlovianae fabulae *Edward the Second* et Shaksperii historicarum tragoediarum hi loci ex fabulis *Edward the Second* et *King Henry VI, Part II* electi demonstrant: cf. *Edward the Second Act IV*, p. 239:

Isabella: Ah, boy, our friends do fail us all in France!
The lords are cruel, and the king unkind.
What shall we do?
Prince Edward: Madam, return to England,
And pleathe my father well; and then a fig
For all my uncle's friendship here in France!
I warrant you, I'll win his highness quickly;
'A loves me better than a thousand Spensers.
Isab: Ah, boy, thou art deceiv'd, at least in this,
To think that we can yet be ton'd together!
No, no, we jar too far. — Unkind Valois!
Unhappy Isabel, when France rejects,
Whither, o whither dost thou bend thy steps?

cf. Shakspere ed. Delius vol. IV. *King Henry VI Part II, p. 87* vel etiam *The first Part of the Contention, Act III, Sc. II:*

Warwick: What dares not Warwick, if false Suffolk dare him?
Q. Marg: He dares not calm his contumelious spirit,

Nor cease to be an arrogant controller,
Though Suffolk dare him twenty thousand times.
War. Madam, be still, with reverence may I say;
For every word you speak in his behalf
Is slander to your royal dignity.
Suffolk: Blunt-witted lord, ignoble in demeanour,
If ever lady wrong'd her lord so much,
Thy mother took into her blameful bed
Some stern untutor'd churl, and noble stock
Was graft with crab-tree slip; whose fruit thou art,
And never of the Nevil's noble race.

Sed ne, quidquid de mutua Shaksperii et Marlovii imitatione iudicandum sit, perquiramus, magna merita de arte dramatica instituenda et de versu *blankverse* perpoliendo Marlovio attribuenda imitatione alienarum laudum magis adaugeri quam diminui, neque Shaksperium, nisi nostri poetae exemplar insigne respicere potuisset, tanta celeritate ad summum gloriae poeticae fastigium provenisse pro certo affirmari potest.